



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annales Episcoporum Slesvicensium

Cypraeus, Johann Adolph

Coloniae Agrippinae, 1634

Capvt XII. ... Haraldo

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64615)

CAPVT XII.

*Maximus accedit, Regem, tunc flamen Adalgus,
 Quem stimulis agit at dira Megera suis,
 Vt grex saluetur Christi, delictaq; culpet
 Saua, sed haud animo gaudia vera capit.*

A. C. 961.

HARALDO successit Adaldagus Episcopus Slesuicentis, vt ex Catalogo vetustissimo, cuius mihi copiam fecit vir doctus & Mathematicus insignis M. Petrus Scriba, colligere licet. De eius vita, genere, & rebus gestis nihil memoriae proditum est. Quibus de causis, & quod nemo eorum, quos ego legi, Adaldagi Episcopi Slesuicentis mentionem faciat, ego adducor vt credam, Adaldagum Archiepiscopum Hamburgensem in Catalogum Episcoporum Slesuicentium relatum esse, quod Episcopo Haraldo mortuo, ipse Episcopi partes sustinuerit, & Suenotrem ad pietatem & religionem Christianam, quam abnegarat, retinendam hortatus sit. Quamuis apud eum nihil profecerit. Item quod Episcopos multos designauerit, & in Daniam miserit, quorum nomina apud Abbatem Stadensem exstant, & hæc quidem, Hæred vel Haraldus, Liafdagus, Reimbraodus, Harigus, Stercolphus, Folbrechtus, Adalbrechtus, Merhe, Odinkarus. Et quidem Haraldus, vt ostendimus, Slesuicum, Liafdagus Ripam, Rembrandus Arhusiam, ab eo missus, & Ecclesijs præfectus fuit. (Adamus lib. 2. cap. 16. & Annal. fol. 110.) Folcbertus in Ecclesiam Slesuicentem successit Haraldo mortuo, vt postea explicabimus. Liafdagus ob miracula quæ edidit celebris fuit, & Sueonibus ac Normannis Euangelium publicauit. Odinkarus

Danus nobili familia prognatus, ab eo in Suetiam missus, munus suum fideliter administravit, quod pietate & doctrina præstaret. Aldenburghensem autem Ecclesiam Edoardus adeptus est, qui magnam Slauorum multitudinem ad Christum conuertit, quem & ipsum Adaldagus ordinavit, ut Abbas Stadenfis & Helmoldus scribunt. Hoc tempore odium, quod Suenotto aduersus Patrem mente conceperat, in actum erupit. Nam regni cupiditate adductus, Patrem folio imperij pellere ac deturbare cõstituerat, idque de consilio Procerum, qui à Religione Christianâ abhorrent, & Pyriticam in mari, ut hætenus consueuissent, diutius exercere, grauissimo edicto prohiberentur. Huc accedebat, quod Haraldus in homines facinorosos & nefarios seuerè animaduerneret: prout à viris Religiosis, Sacerdotibus & Pastoribus, sui muneris ac officij esse, edoctus erat. Haraldus cum videret rem ad bellum spectare, neque vlla ratione componi posse, de consilio eorum, qui fidem, quam semel Regi polliciti erant, saluam ac inuiolatam præstare cupiebant, arma, licet inuitus sumisit, & exercitum collegit. (*Vide Adamum lib. 2. cap. 18. & Annal. fol. 110. Consilium habuit cum his: quos Pater ad Christianitatem inuitos coegit.*) Cumque filius Patri pugnandi ansam præbuisset potestatemque fecisset, & vterque aciem instruxissent, Haraldus, cui filij salus magis quam sua ipsius curæ esset, hoc vnum petijt, ut filio parcerent, Davidis exemplū in eo sequutus. Et, ut à primo tempore, quo regnare cœpisset, spem omnem & fiduciam in Deo collocauerat, ita & euentum fortunamque belli vnicè eidem commendabat. Neque tam suum ipsius periculum, quam filij facinus, & Ecclesiæ persequutiones miserabatur & deplorabat. Acriter vtrimque pugnatum est, multis vulneratis & cœsis, Sed tamen filius in eo prælio victor superiorque euasit. Haraldus faucibus ex acie profugit, & naui conscensa

scensa *Vvinetam*, quæ Slauorum ciuitas erât, & olim *Iulinum*, nunc *VVollinum* appellatur, delatus est. (*Olim Iumne appellatam Ada. lib. 2. cap. 18.*) Vbi præter spem ac opinionem, quòd homines pagani, barbari, moribusque inculti essent, benigne ac humaniter receptus, paucis post diebus ex eodem vulnere deficiens, in confessione Christi migravit. Princeps optimus, qui non tantùm Regibus Deo charissimis annumerandus, sed & in Martyrum numerum relatus est. (*Hel-mold, & Saxo lib. 10. Ada. Ille noster Haraldus, qui populo Danorum Christianitatem primus indixit, qui totum Septentrionem Prædicatoribus & Ecclesijs repleuit, Ille, inquam, innocens vulneratus, & pro Christo expulsus, Martyrij gloria non carebit. c. 18. lib. 2.*) Quæ de causa & eius memoriam in festo Omnium Sanctorum, Maiores nostri celebrarunt. nam eo die obiit. Annos regnavit L. Corpus Roskildiam translatum, in Ecclesia, quam ipse in honorem sanctæ Trinitatis ædificauerat humatum est. Ad sepulchrum eius cæcos visum recepisse, aliaq; insignia miracula edita esse, constanti fama ac traditione perhibetur. (Ad. B.) Haraldum autem Regem faucium interiisse anno Domini 980. indicant versus Epitaphij, qui in æde Trinitatis Roskildiæ adscripti sunt:

*Post natale Dei dum scripsimus Octoaginta
Nongentos, meruit scandere celsa poli.*

A. 19. 2.

SVENOTTO autem, quòd Patrem ipsius hospitio excepissent, omniq; amore ac benevolentia persecuti essent, Iulinis bellum indicit, & armis rem vindicare & experiri statuit. Sed prælio victus & captus, vitam redimere & λύτρον persolvere coactus fuit, magnâ pecuniæ summâ expensâ. Ingenti autem hac clade nequaquam perterrefactus, sui vlciscendi ac vindicandi causa rursus Iulinos adoritur, belli aleam pe-

riclitaturus. At rursus victus, inq; potestatem eorum redactus redemptionis nomine, Procerum Regni liberos obsides dare cogitur. Qui cum ante pecuniam persolutam, quæ redemptioni dicta erat, liberari non possent, parentes præfidijs & possessionibus ac rure vendito eos redemerunt. Suenotto adhuc sibi victoriam pollicens, bellandi cupidus, tertium prælio contendit & vincitur: quòd Deus iniuriam & mortem Patri illatam non pateretur inultam. (*Et hæc nobis, inquit Adamus cap. 21. Iunior Sueno recitavit in avo suo contigisse iusto Dei iudicio: quoniam illum dereliquit, quem Pater eius bonum defensorem habuit.*) Ibi tum beneficio & liberalitate matronarum locupletum, captivitate liberatur. Nam cum Regni Proceres, vt qui magno ære persoluto liberos suos redemissent, in illius redemptionem nec possent nec vellent quicquam amplius erogare & conferre, tandem fœminæ misertæ Regis capti, mundo muliebri, monilibus, & alijs ornamentis collectis, eum custodia liberarunt. (*De Danis casis prope Glindefmor, vide Helmoldum, qui 20000. interemptos esse memorat.*) Ita Rex, & regno facultatibusque omnibus exutus, condiciones, quas victores præscripsissent, libens acceptavit, & inter alias, Iulinenfibus in Regno Daniæ liberè negociandi & versandi copiam ac facultatem permisit ac concessit, iuratusque promisit, sese memoriam omnium offensionum & iniuriarum ex animo deleturum, neque vnquam sui vlciscendi causa quidquam aduersus Iulinenfes tentaturum ac moliturum esse. Rex restitutus, quòd beneficiorum acceptorum memorem & gratum erga illum sexum sese ostenderet, lege latâ sanxit, vt in posterum fœminæ, eodem Iure quo masculi, in bona tam mobilia, quàm immobilia parentibus & cognatis defunctis succederent. Quo privilegio adhuc in Daniâ fœminæ fruuntur. Sed & Rex Sueo-
num

num Henricus, magno exercitu collecto Daniam inuasit, Suenonemque à Deo derelictum, qui in Idolis suis spem collocauerat, fudit fugauitque, & victor Daniam obtinuit. Sueno Regno spoliatus dignam à Deo zelote factis suis recepit mercedem. Et hæc, *inquit Adamus*, nobis iunior Sueno recitauit, auo suo contigisse iudicio iusto Dei, qui illum dereliquit, quem Pater eius bonum defensorem habuit. *A. c. 21.* Anno Domini 988. cum magnam Christianorum persecutionem in Daniâ Sueno Rex exercuisset, supplicibus Archiepiscopus legatis, crebrisque muneribus laborabat, quatenus ferocis Regis animum mansuetum redderet Christianis. Quibus ille reiectis in sua nimirum crudelitate & perfidia sæuire non cessauit. Vnde & ultio diuina Regem Deo rebellem est subsequuta. Nam cum contra Slauos bellum fusciperet, bis captus, & in Slauiam ductus, totiesque à Danis ingenti auri pondere est redemptus. Nec tamen adhuc Deum reuereri voluit, quem primò in morte Patris offendit, & deinde in nece fidelium irritauit. Tunc potentissimus Sueonum Rex Hericus, collecto exercitu, Daniam inuasit & occurrit ei Sueno à Deo derelictus. Sed cum vtrimque bello nauali, (sic enim gens illa configere solet) omnes copiæ Danorum essent obtritæ, Hericus Rex victor Daniam obtinuit. *Stadens. III. folio.* Suein ergo depulsus à Regno, dignam factis suis à Deo mercedem recepit.

Dum Sueno iratum Regem fugit impius, aras

Folcbartus mitra mox venerandus adit.

Vita magna sua sensit discrimina, at acer

Poppo animum Regis mitigat vsque malum.

Anno 964. Folcbertus Episcopus Slesuicensis ab Adaldago, more ac ritu solenni ac consueto creatus & consecratus fuit. Abbas Stadenfis Episcoporum nomina, quos Adaldagus in Daniam misit, recensens,
& Folc-

& Folcbertum vel Folbrechtum memorat, vt & Catalogus Episcoporum. De cuius ortu, familia, genere, & rebus gestis nihil memoriæ proditum est, nisi quòd summo in discrimine, magnis cum impedimentis conflictatus, verbum Dei propagare conatus sit, sed parum felici successu. Nam Rex Sueno sui vbiq; similis, Religionem Christianam, eosque qui illam profiterentur, adhuc persequi non destitit, etsi tot tantisque calamitatibus & miserijs fatigatum ac oppressum, tandem aliquanto mitiorem factum esse, verisimile sit. Mortuo Adaldago, Libentius Archiepiscopus Bremensis Successor, Legatis & muneribus missis, animum Suenottonis crudelem ac sanguinarium placare & Christianis æquiores reddere conabatur, sed longe obstinatioer erat, quàm vt de proposito sententiâ ac conatu persequendi Christianos, cum vel periculum & calamitates quas perpeffus erat, vel monitiones & preces Sacerdotum Dei abstrahere ac depellere possent. Vnde & iusto Dei iudicio in maiores adhuc longeque grauiores incidit miseriae & calamitates. Nam à Rege Suetiæ Erico, regno pulsus, & à suis desertus, errabundus & inops auxiliij ad Northmannos proficiscitur, vbi tunc Thrucce rerum potiebatur. Is quod à Religione Christiana omnino abhorreret, nulla erga Suenonem misericordia ac compassione efficiebatur. Quâ de causâ ad Regem Angliæ Edoardum (*Adamus Adelraadum Edgaris filium nominat, c. 25. 2.*) auxilium petitum confugit. Edoardus qui memoriâ adhuc teneret, quàm feliciter Pater ipsius aduersus Anglos pugnasset, & quasque iniurias Dani iamdudum Anglis intulissent, ei suppetias ferre recusauit, cum & hominis fidem suspectam haberet. Hac spe itaque frustratus in Scotiam proficiscitur, cuius vicem miseratus Scotiæ Rex, hominem benignè suscepit. Vbi & solitariam vitam agens in obscuro de-

scuro de-

scuro delituit, quoad Rex Ericus diem suum obiisset. Quatuordecim annos eum in Scotiâ exulasse, scribit *Adamus, Saxo* septem annos. *cap. 28. libr. 2. & cap. 25. eod.* Erico mortuo, Suenotto Proceres regni, qui ei authores belli contra Patrem suscipiendi, & religionis explodendæ fuissent, anxie sollicitare, precibusq; contendere, vt ab ijs in regnum reciperetur. Quò autem eò facilius peruenire possset, Religionis Christianæ zelum & amorem præ se tulit, & simulauit. His artibus in regnum receptus fuit, idq; concessu & permissione Regis Suetiæ, qui Suenottonis vitricus erat. Nam in vxorem duxerat Herici viduam, matrem Olaphi Regis Suetiæ. *Ad. c. 28. 2.* Eum autem rursus Olaphus regno expulisse fertur, Daniamq; occupasse, vt *Adamus* testatur. Sed tandem Sueno antea actæ vitæ pœnitentiâ ductus peccata confessus est, precibusq; ad Deum conuersus, clementer exauditus est, Ita vt eum Olaphus in Regnum restitueret, quòd matrem eius in matrimonio haberet. Ibi tum inter sese pacti sunt, fidemq; & Iusiurandum dederunt, de Religione Christianâ, quàm semel amplexi essent, constanter ac firmiter retinendâ, & ad exteros quoq; propagandâ, ac disseminanda. *A. c. 28. 2.* Post id tempus, nihil aduersus Religionem tentare aut moliri ausus fuit, cum eius propagandæ studio sese flagrare antea professus esset, idq; non obscure præ se tulisset. Ita que libertatem & exercitia Religionis omnibus concessit, neque post illa vnquam in Christianos sæuij. Imò conscientiæ scrupulo exstimulatus, & quòd videret se ob Religionem temeratam diuinitus affligi, ad meliorem frugem sese recepit, omnesque ad cultum verbi Dei cohortatus est, sperans fore, vt hac ratione Deum iratum placare, & sæuitiam quam exercuisset, expiare possset. *Hector Boethius* scribit, *Suenonem in Scotia ad pietatem, Sacerdotum Scotorum predicationi-*

catiori-

cationibus & monitis conuersum & baptizatum, atque hac ratione auxilium, quod ab Eduardo petierat, à Scotis impetrasse, eorumque presidio in Regnum restitutum. libr. 2. c. 18. Narrat Adamus, se cum Rege Danorum Suenone, nepote Suenottonis, qui eius tempore in Dania regnauit, de morte & exilio Suenottonis sermonem habuisse, cumque aui delicta & crimina quasi de industria præteriret, & Adamus parricidium exaggeraret, Suenottonem in hæc verba prorupisse: Hoc est parricidium quod nos luimus, & quod ipse Parricida suo plauit exilio. Vox memorabilis & notatu digna, qua significatur, Deum parricidia inulta non pati, sed persequi in tertiam & quartam generationem. (*Stadensis anno 974. f. 109. & c. 25. Hæc Parricida aui pericula Sueno Rex nobis attonitis exposuit.*) Folcberto mortuo Poppo vir Sanctus designatus fuit, qui Religionem in Ducatu collapsam erigeret, & Idolatriam extirpatam, verum Dei cultum restitueret. (A. c. 26.)

C A P V T XIII.

*Poppo edit clarus miracula, numine Diuum
Tunc se conuertit Dania tota Deo.
Sentinam scelerum merisit, taxatque tyrannos,
Dogmata qui Christi reppulerantque fidem.
A. C. 986.*

ANNO itaque 984. plus minus, Poppo Episcopus Slesuicensis creatus, & ab Adalgaigo secundum morem ac institutum Ecclesie consecratus ac designatus fuit, qui in Chersoneso Cimbricâ Ecclesijs præffet. (*Velleius Anno*